



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 4. Quomodo dividitur Peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

metu diræ mortis idolis sacrificarunt: quia nempe relinquit consensum sufficienter liberum, nam eo non obstante actus procedit à voluntate cum cognitione etiam perfecta, & fit ex electione, & absque necessitate physica, ita ut possit non fieri.

Resp. III. Metus prudens damni gravis excusat à peccato, in iis, quæ sunt contra legem non obligantem cum gravi damno. Nam excusat ab observatione talis legis. Lex autem humana ordinariè non obligat cum gravi detrimento; nisi charitas, vel bonum commune, vel vitatio scandali, aut contemptus Religionis, potestatisve legitimæ id exigat.

Q. 4. Quomodo dividitur Peccatum?

Resp. IV. Dividitur præcipuè 1. in Originale, quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus; & Personale, quod peccantis voluntate physicè propria committitur 2. In Mortale, & Veniale. 3. In peccatum Commissionis, & Omissionis. 4. In Actuale, & Habituale. 5. In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ipsum peccantem, ratione scilicet virtutum, contra quas peccatur. Sunt enim quædam virtutes, quæ habent Deum pro objecto immediato, ut fides, spes, charitas: unde peccata, quæ illis adversantur, sunt speciali modo contra Deum. Aliæ habent pro objecto

jecto proximum, ut justitia, misericordia, dilectio proximi: unde peccata, quæ illis opponuntur, sunt contra proximum. Aliæ demum rectè disponunt hominem erga se ipsum, ut fortitudo, temperantia, &c. Unde peccata iis opposita, sunt speciali modo contra ipsum peccantem. Quamvis omnia peccata generali quadam ratione sint contra Deum, qui illis omnibus offenditur, & contra ipsum peccantem, cui omnia nocent. 6. In peccata ignorantia, infirmitatis, & malitiæ. 7. In septem Capitalia.

Q. 5. Unde petitur specifica peccatorum distinctio?

Not. 1. Species moralis peccati est specialis malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio. Malitia autem actus est ejus difformitas, ac oppositio cum natura rationali, & lege divina. Unde illa peccata differunt specie, quæ habent disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina notabiliter inter se diversam.

Not. 2. Voce objecti hinc intelligitur id totum, in quod voluntas tendit per actum malum, ex hoc enim omni refundi potest malitia in actum ipsum. Unde objectum voluntatis complectitur objectum materiale, seu id, quod vult, objectum forma-